

qui coram Prælatiis suis convicti sunt, aut confessi, vel ab eis sententialiter condemnati super hæretica pravitate. Et eorum bona propria confiscantur, & ipsi juxta legitimas sanctiones puniuntur: 2. Quando Legatus Apostolicus interdicit pedagiam, guidagiam, vel salinaria, intelliguntur illa esse interdicta, quæ non apparent, Imperatorum, vel Regum, vel Lateranensis Concilii largitione concessa, vel ex antiqua consuetudine à tempore, cujus non extat memoria introducta. Variæ sunt: videlicet 1. pedagia, quæ dantur à transeuntibus per certum locum, ab ingredientibus aliquod Regnum, Portum, vel Civitatem, & Hispani dicuntur: *Portazgos, passages, ò almojari-fazgos*: 2. Guidagia, siquidem proprium est Imperatorum, & Regum tributa imponere. *L. 11. tit. 28. p. 3. Suar. de Legib. lib. 5. cap. 18. & com. DD.* tales impositiones, quæ alicui dantur productum, vel dittonem, ut securus vadat, Hispani: *salvo conducto*: 3. Salinaria, licet enim Jure Naturæ ad dominium privatorum pertineant. *L. 4. §. 7. ff. de Sensib.* Postea in eis vectigal, & tributum impositum fuit. *L. 11. tit. 28. p. 3.* Et denique hodie in nostra Hispania omnes salinae ad Regem pertinent. *L. 2. tit. 13. lib. 6. R. C. Gonz. in h. text. n. 5. Aev. in L. 31. tit. 18. lib. 6. R. C. ex n. 10. Solorz. Polit. Ind. lib. 6. cap. 3.* ubi notat, quod in nostra Hispania est admissa hæc impositio, secus in Regno Peruano. Sic etiam in his Insulis earum incolæ in percipiendo sale, sicut, & aliis fructibus summa libertate gaudent: 3. Quando Legatus Apostolicus mandat alicui Principi Secularii, ut secundum arbitrium Legati, vel Judicis Ordinarii, vel Delegati Apostolici Justitiam exhibeat, intelligendum est, ut in omni causa, quæ ratione personarum, vel rerum ad Ecclesiasticum forum pertinent, ac super universis capitulis, quæ pro pace servanda sunt per dictum Legatum statuta, vel Apostolica auctoritate statuenda, justitiam faciat: frem viduis, pupillis, orphanis, & personis miserabilibus tenentur in judicio Ecclesiastico respondere.

Cap. 27.

Clericus degradatus, tunc censetur Curia Seculari traditus, quando degradatio præsentem potestatem Ecclesiasticam ce-

lebratur, & post degradationem potestati Seculari prænuuntur, ut in suum forum degradatum recipiat: debet tamen Ecclesia, saltem ex decentia efficaciter intercedere pro degradato, ut citra mortis periculum sententia circa eum moderetur. *L. 60. tit. 6. p. 1.*

Cap. 28.

Quando Papa reo, qui non potest possessionem, propter actoris absentiam recuperare, indulget, quod ei elapsus anni non noceat, hæc indulgentia juxta Jus Commune debet intelligi. Similiter quælibet dispositio, Judicis sententia, instrumenta, statuta, Rescripta, Leges, imò, & privilegia, quæ aliquo dubio laborant debent ita interpretari, ut Jus Commune, quo minimum lædatur, vel corrigatur, ne uno verbo destruat, quod tot vigilis, studio, consideratione, & maturitate elaboratum est. *L. 28. ff. de Legib. cap. 28. de Reg. jur. in 6.*

Cap. 29.

Nomine oblationis comprehenduntur ea, quæ in festivitate omnium Sanctorum ad Ecclesiam portantur, vel ad Sacerdotis dominium intuitu defunctorum, & quæ ponuntur in Criminali, id est, in Cimetio, seu loco, ubi oblationes reconducuntur. *Gonz. hic, & in cap. 3. de Offic. Archidiacon.* Et quæ suscipiuntur de Altari, & quæ ante Crucem, & in Missa Trinitatis, & quæ dantur pro desponsatis, & lampades cum oleo, & quæ alicui capelle offeruntur, & quæ dantur Nuntio per Parochiam destinato, & pro Missis mortuorum, & pro septimis, trigesimis, & anniversariis, & panes, & quæ infra hebdomadam offeruntur, & judicia mortuorum, & denique quidquid ad Ecclesiam quocumque titulo pervenerit. Inde, cui tertia pars oblationum, ut in præsentem debetur, horum omnium tertia pars dari debet. *L. 6. tit. 19. p. 1.*

Cap. 30.

Cum in quadam sententia in puncto novi operis nuntiationis pronuntiatum esset molendinum esse reedificandum in eo statu, in quo fuerat tempore litis motæ, non relatè ad tempus, quo lapillus in-

denuntiationem novi operis jactus fuit, sed ad tempus, quo litis contestatio facta fuit intelligendum est, licet in aliis casibus lis à citatione censeatur incipere juxta *Vegam Rubric. de Judic. n. 44. & Gonzal. in C. in. de Litis contestat.*

Cap. 31.

Quando Legatus constitutionem facit de solvenda Episcopo tertia mortuorum parte, intelligitur de eis mortuariis, quæ secundum Jus Commune debentur, non de illis, quæ pertinent, ad Ecclesiam ornamenta, vel fabricam necessariam, vel ad luminaria, vel quæ relinquuntur pro anniversario, septimo, vicesimo, aut tricesimo, faciendis, nec de eis, quæ specialiter fiunt personis, ut Rectori Ecclesie, nisi Ecclesie ratione fiant.

Cap. 32.

Quando Episcopo pro honesta, & favorabili causa privilegium conceditur, ut fructus beneficiorum percipiat; nomine beneficii, etiam majora beneficia, & præbendæ continentur. *Barb. in Pras.*

Cap. 33.

Cum allegaretur coram Gregor. IX. quod numerus Canonicorum Xantonensis Ecclesie ob diminutionem facultatum, non possit observari, & idè esset diminuendus dedit commissionem, ut numerus juxta facultates, moderaretur, sed cum videret delegatus facultates auctas esse, etiam numerum præbendarum augere volebat, sed respondit Papa, quod numerus Canonicorum dimitat in eodem statu, in quo hactenus dignoscitur extitisse, & in Ecclesie utilitatem converteretur augmentum suorum redituum. Deinde in epigraphe dicitur, quod verbum moderationis diminutionem continet, non augmentum.

TIT. XLI.

De Regulis Juris.

441 **R**egula sic à regendo dicta est, quæ rem, quæ est, breviter enarrat. *Teste J. C. Paul. in L. 1. ff. Tom. II.*

b. t. ac proinde sicut Hypocrates totius Medicinæ materiam, ad quædam breviter præcepta reduxit, quæ aphorismos vocavit, sic Jurisconsulti ad quasdam breves regulas, tanquam ad indicem immensam juris extensionem aliquomodo reducerunt, ut sic facilius ejus quæstiones resolvere valeret. Regula enim non constituit novum jus, sed illud supponit constitutum, adeo ut non ex regula jus sumatur, sed ex jure, quod est, regula fit. *L. 1. ff. b. t.* Per regulam igitur brevis rerum narratio traditur, & ut ait Sabinus, quasi causæ conjectio, est, quæ simul cum in aliquo vitata est perdit officium suum; & pro eo pro quo estat regula pronuntiandum est, nisi adversarius, cui onus probandi incumbit, probet quæstionem, vel casum in illa regula non comprehendi. *L. 5. ff. de Probat. c. fin. de Restitut. spoliat. in 6.* Multaque vim in jure habent, dum opportune ad casum, & circumstantias allegentur: nam cum nulla sit regula sine exceptione; regula quæcumque allegetur, nihil probabit, si adversarius, illum casum, de quo est quæstio, ab illa regula excipi, probet. Regulæ etenim aliæ sunt *authentica*, quæ scilicet, vel ex Jure Canonico, vel Civili deducuntur; aliæ vero *Brocardica* nuncupantur, quæ scilicet per modum axiomatis à DD. profertur, & quidem sæpè, quin ex aliquo textu deducantur: imò & ex Philosophorum, & Poetarum dictis desumuntur. Sed cum ex principiis unius facultatis argumentum desumptum ad aliam debile sit, juxta *Aristot. 1. Posteriorum.* Hinc tales regulæ, nisi firmiori principio nitantur, vim in jure non habent. Possunt nihilominus aliquam addere auctoritatem. Et quia regulæ contentæ in hoc titulo, & in 6. frequentissimè allegantur in jure, eas expedit, saltem summo digito tangere, ut aliquantulum earum genuinus sensus percipiatur, licet latius requirerent examen.

Cap. I. Joan. Chrysostomus.

442 *Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur. L. 35. L. 153. ff. b. t.* In contractibus enim humanis, qui à dispositione contrahentium dependent in esse, & conservari, sicut ipsorum consensu, & voluntate contrahuntur, & fiunt, ita ipsorum dissensu, vel consensu contrario distrahuntur, & dis-

dissolvuntur. Sic verborum obligatio verbis tollitur, & nudi consensus obligatio contrario dissolvitur consensu. *L. 35. ff. h. f. Sic tollitur pactum pacto. L. 27. §. Pactus, ff. de Pact. Lex lege. L. 28. ff. de Legibus. Testamentum testamento. L. 1. §. 2. ff. de Injust. rup.* Etiam sponsalia, quæ mutuo consensu contrahuntur, mutuo dissolvuntur consensu. *c. 2. de Spons. Secus est matrimonium; nam si semel constiterit, Jure Naturali, & Divino indisolubile est, nec jam amplius est in contrahentium potestate illud vinculum dissolvere: nam quod Deus conjunxit, homo separare non potest. Hinc etiam eadem solemnitas, quæ servatur in Clerici ordinatione, servatur in ejus degradatione. *c. 2. de Pœnis, in 6.* Et in Militis exathoracione. *L. 2. §. Ignominia. ff. de His, qui notantur infam.**

Cap. 2. Beda in Homiliis.

Estote misericordes sicut Pater vester Cælestis misericors est, nolite judicare, & non iudicabimini. Licet enim facta manifesta secundum ejus naturam sint iudicanda, ac proinde, ut mala sunt iudicanda homicidium, stuprum, adulterium, & alia hujusmodi, tamen ea, quæ dubia sunt, in meliorem partem debent interpretari, ut hortatur. *S. Bernard. serm. 40. super Cant. Excusa intentionem, si opus non potest: puta ignorantiam, puta subreptionem, puta causam. D. Thom. 2. 2. q. 6. art. 4. in corp. ibi: Hoc ipso, quod quis habet malam opinionem de alio absque sufficienti causa injuriatur ei, & contemnit ipsum, nullus autem debet alium contemnere, vel nocementum quocumque inferre absque causa cogente, & ideo ubi non apparent manifesta invidia, de malitia alicujus, debemus eum, ut bonum habere: in meliorem partem interpretando, quod dubium est. Et postea ad 1. quod potest contingere, quod ille, qui in meliorem partem interpretatur, frequentius fallitur, sed melius est, quod aliquis frequenter fallatur habens bonam opinionem de aliquo malo homine, quamquod rarius fallatur habens malam opinionem de aliquo homine bono, quia ex hoc fit injuria alicui, non autem ex primo. In rerum iudicio debet quis niti ad hoc, ut interpretetur unumquodque, secundum quod est.*

Cap. 3. Idem.

Utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur. *L. 50. tit. 5. p. 1. Scandalum Græce juxta D. Hieronymum dicitur, quod nos offensionem, vel ruinam, vel in pacationem pedis possumus dicere: & ideo convenienter describitur sic: Dictum, vel factum, minus rectum præbens occasionem ruinae. D. Thom. 2. 2. q. 43. art. 1. in corp. Scandalum est duplex, scilicet actuum, quod ex se tendit ad inducendum peccatum alterius: passivum est ruina ipsa, sive peccatum, in quod labitur proximus ex occasione dicti, vel facti, vel omissionis alterius. Et quidem manifestum est, quod nullus debet, mortaliter peccare, ut alterius peccatum impediat, quia secundum ordinem charitatis plus debet homo suam salutem spirituales diligere quam alterius. Et ideo ea que sunt de necessitate salutis prætermissi non debent propter scandalum vitandum. In his autem spiritualibus bonis, que non sunt de necessitate salutis, videtur distinguendum, quia scandalum, quod ex eis oritur, quandoque ex malitia procedit: cum scilicet aliqui volunt impedire hujusmodi spiritualia bona scandala concitando. Et hoc est scandalum Phariseorum, quod doctrina Domini scandalizabantur, quod esse contemnendum Dominus docet *Matth. 15.* quandoque vero scandalum procedit ex infirmitate, vel ignorantia, & hujusmodi est scandalum pusillorum: propter quod sunt spiritualia bona, vel occultanda, vel etiam interdum differenda, ubi periculum non imminet, quosque reddita ratione hujusmodi, scandalum cesset. Si autem post reditam rationem hujusmodi scandalum duret, jam videtur ex malitia esse: & sic propter ipsum non sunt hujusmodi spiritualia bona dimittenda. Sic *D. Thom. 2. 2. q. 43. art. 7. in corp.* ex quo facile noster textus intelligitur. Faciunt *Text. in c. 10. de Renunt. c. 4. de Stat. Monach. & alii.**

Cap. 4. Id. super Marcum.

Quod non est licitum in Lege necessitas facit licitum, seu ut communiter dicitur: Necessitas caret lege: si quidem necessitate urgente, non obligat Lex Positiva, sive Civilis, sive Ecclesiastica, sive Divina sit. Hinc licet Sabbathum

Cap. 8. Augustinus.

Qui ex timore facit præceptum, aliter facit, quam debet, & ideo jam non facit. Difficilis est hic textus pro explicando dolore necessario, & sufficienti ad Sacramentum Pœnitentiæ: ac propterea, ut triticum, à zizaniis, & loliiis separaretur quadruplex timor distingui oportet. 1. Est timor filialis, quo quis reverentiam exhibet Deo: Et est quasi quoddam genus ad dilectionem Dei, & principium quoddam omnium eorum, que in Deo observantur reverentia. *D. Thom. 2. 2. q. 22. art. 2. in corp.* satisque apte à quodam Gentili depingitur dum ait: Pœnitet, d (si quid miserorum creditur ulli) Pœnitet, & factio torquor ipse meo: cumque sit exilium magis est mihi culpa dolori, estque pati poenam, quam meruisse minus. Mors faciet certe, ne sim, cum venerit, exul, ne non peccarim mors quoque non faciet. Hic timor profectò sufficit, sed non necessariò requiritur ad Sacramentum pœnitentiæ. 2. Est timor serviliter servilis, quando scilicet, quis ita detestatur peccatum propter gehennam, ut simul sic conditionatè tendat: non detestaret culpam, si non esset gehenna, ita ut habeat voluntatem conditionatam peccandi. Et hic certe non deservit ad pœnitentiæ: & de hoc intelligitur illud: Charitas perfecta foras mittit timorem, & sic intelliguntur *August. in presenti SS. Greg. Bern. Thom. Bonav. & alii*, quando dicunt, quod solo timore non excluditur voluntas peccandi. 3. Est timor simpliciter servilis, quando, scilicet homo detestatur culpam propter poenam ibi sistendo. 4. Initialis, qui est medius inter utrumque *D. Thom. 2. 2. q. 19. art. 2. in corp.* ibi: Quandoque homo propter mala, que timet, ad Deum convertitur, & ei imberet, quod quidem malum est duplex, scilicet, malum poenæ, & malum culpe. Si ergo aliquis convertatur ad Deum, & ei imberat propter timorem poenæ, erit timor servilis, si autem propter timorem culpe, erit timor filialis: nam filiorum est timere, offensam Patris, si autem propter utrumque est timor initialis, qui est medius inter utrumque timorem. Timor servilis sufficit, & saltem ipse est necessarius ad Sacramentum pœnitentiæ, nam juxta *Trid. sess. 14. de Pœnit. cap. 3. & 4. Attritio, seu contritio imperfecta, que vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ,*

tum custodire præceptum Legis veteris fuisset: Machabæi tamen sine culpa in Sabbatho pugnabant, Discipuli Domini spicas vellebant: itemque Elias fugiens iter faciebat. Sic & hodie: si quis jejuniu m frerit agrotus, reus voti non habetur. *c. 2. de Observ. jejun. nec furum committit, qui in extrema necessitate accipit rem alienam. c. 3. de Furtis, D. Thom. 1. 2. q. 96. art. 6. in corp.* ait: Si verò sit subitum periculum non patiens tantam moram, ut ad Superiorem recurri possit, ipsa necessitas dispensationem habet annexam, quia necessitas non subditur legi. Quando verò aliquid Jure Naturali est illicitum nulla necessitate fieri potest licitum talia sunt, que non sunt mala, quia prohibita, sed sunt prohibita, quia mala, ut blasphemia, perjurium, mendacium, adulterium, hæresis, & alia hujusmodi.

Cap. 5. Gregorius VII.

Quod latentè, aut per vim, aut alias illicite introductum est, nulla debet stabilitate subsistere. Sicut ea, que palam fiunt à suspicione sunt aliena. *L. 54. ff. de Administr. Tutor.* Sic ea, que clam fiunt contra se præsumptionem, & suspicionem habent juxta illud Christi *D. Joan. 3. v. 20. Qui malè agit odit lucem. c. 24. de Offic. Delegat.* Quæ per vim fiunt nulla sunt, & irrita, quia deest voluntas, & consensus: quæ per metum gravem, aliquando sunt nulla, ut matrimonium *c. 14. de Spons.* aliquando rescindenda, ut in contractibus accidit.

Cap. 6. Id. Variensi Episc.

In ipso cause initio, non est à quibus inchoandum. Et quidem merito: nam solum tormenta, seu tortura est adhibenda in subsidium, quando aliæ probationes non dantur, & tunc non aliter quam si semiplena præcesserit probatio.

Cap. 7. Stephanus Papa.

Quidquid in sacratis Deo rebus, & Episcopis injustè agitur, pro sacrilégio reputatur, quia sacra sunt, & à quoquam violari non debent. *c. 3. 12. q. 2.*

ne, & poenarum metu committitur concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe venia, quamvis sine Sacramento poenitentia per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen cum ad Dei gratiam in Sacramento poenitentia impetrandam disponit. Et hac ratione sunt damnatae ab Alex. VIII. sequentes propositiones. 14. *Timor gehenna non est supernaturalis.* 15. *Attritio, qua gehenna, & poenarum metu concipitur sine dilectione benevolentiae Dei propter se non est bonus, ac supernaturalis.* Idem damnatum est à Clemente XI. in proposit. 6. usque ad 67. inclusive Pasch. Kessel. Alii è contrario errarunt tribuendo cuiusque dolori, etiam naturali, vim justificandi cum Sacramento poenitentiae, cum certum sit quod attritio naturalis ad hoc non sufficiat, quia ad gratiam consequendam requiritur, quod attritio sit Donum Dei, & Spiritus Sancti impulsus. *Trid. sess. 14. de Poenit. cap. 4.* & ideo ab Inoc. XI. est damnata propositio 57. quae sic ait: *Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modo honestam.* Sed cave ne incidas in aliud extremum damnatum ab Alex. VIII. in proposit. 9. ibi: *Revera peccat, qui odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem, & inconvenientiam cum natura sine ullo ad Deum offensum respectu.* *Lacr. lib. 6. p. 2. ex n. 795.* Sed caute inter has syrtis navigandum: nam dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.

Cap. 9. Id. in Libro de Poenit.

Defleat peccator, quia offendens in uno, factus est omnium reus; consonat D. Jacob. in *Epistol. Can. 2. v. 10.* Qui enim unum peccatum grave committit factus est reus damnationis aeternae, & inimicus Dei, sicut, qui plura commisit, vel omnia est transgressus praecepta: non enim loquitur D. Jacobus de peccato ex parte conversionis, secundum quoad peccata distinguuntur, sed loquitur de eis ex parte aversionis in quantum scilicet homo peccando recepit à Legis mandato: omnia enim Legis mandata sunt ab uno, & eodem Legislatore, & ideo idem Deus contemnitur in omni peccato: & ex hac parte dicit, quod qui offendit in uno factus est omnium reus, quia, scilicet, uno peccato peccando incurrit poenae reatum ex hoc, quod contemnit Deum, ex cuius contemptu provenit omnium peccatorum reatus. Sic. D. Thom. 1. 2.

q. 73. art. 1. ad 1. Et 2. q. 5. art. 3. ad 3. ait: *Diversa praecepta Legis possunt referri, vel ad diversa motiva proxima, & sic unum sine alio observari potest, vel ad unum motivum primum, quod est perfectè obedire Deo, à quo decidit quicumque unum praeceptum transgreditur secundum illud Jacob 2. qui offendit in uno factus est omnium reus.*

Cap. 10. Greg. in Registro.

Non potest esse Pastoris excusatio, si Lupus oves comedit, & Pastor nescit. Pesima enim erit excusatio Praelati, si peccatus negligentiam, vel ignorantiam subditi sibi commissi pereant. Pastor enim, vel Superior, sive Ecclesiasticus, sive Saecularis non debet dormire, sed vigilare necessè habet super gregem suum arg. L. 40. ff. *Locat. c. 12. 13. q. 4. c. 8. D. 81.* Nam ut in *Psalm. 120.* dicitur: *Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel. L. 15. tit. 8. p. 5.* Et in Apocalypsi reprehendit Dominus aliquorum Episcoporum omissionem. Et praecipue in cap. 3. loquendo de Episcopo Sardis, ait: *Esto vigilans, & confirma cetera, quae mortua erant: non enim invenio opera tua plena coram Deo meo: Si ergo non vigilaveris, veniam ad te tantquam fur, & nescius, qua hora veniam ad te.* *Alciat. Embl. 25.* ait: admoneri Ecclesiasticum Pastorem gregem sibi commissum vigilantissime custodire Galli, & Leonis imaginibus, quae in Templis solent collocari, quod his Versibus significat: *Instantis quod signa Canem dat Gallus Boi: & revocet famulus ad nicta pensa manus. Turribus in sacris effingitur aera mentem ad superos pelvis, quod revocet vigilem; est Leo: sed custos oculis, qui dormis apertis, Templorum iacircò ponitur ante fores.*

Cap. 11. Lucius III.

Indignum est, & Romanae Ecclesiae consuetudine alienum, ut pro spiritualibus facere quis homagium compellatur. Clerici possunt praestare juramentum fidelitatis, & obedientiae suis Praelatis servandae, & in hoc sensu homagium servare tenentur. c. 15. de *Excess. Praelatorum.* non tamen possunt homagium, proprie tale, praestare pro rebus spiritualibus: nam hoc jus homagii, seu vassaliti Dominii tan-

tantum temporalibus, non verò Ecclesiasticis, praestatur. Hinc, quia munus indebitum est, non potest pro rebus spiritualibus, sine labe Simoniae, praestari. cap. 17. de *Simon.*

netur, qui bona fide jam praescripserat, restituere rem, etiam si ipsam rem praescriptam, alienam esse sciat.

Cap. 3.

Sine possessione praescriptio non procedit. L. 25. ff. de *Usucapionib.* Siquidem quod principaliter in usucapione, vel praescriptione requiritur, est possessio, adeò ut saepe in jure possessio pro praescriptione sumatur: & qui est incapax possessionis, ut Laicus respectu rerum spiritualium, consequenter est incapax eas praescribendi. In rebus ergo corporalibus est necessaria possessio vera, & quidem Civilis. L. 1. §. *Per servum, ff. de Acquir. possess.* Nec sufficit naturalis. Gomez in L. 45. *Taur. n. 105.* in iuribus, & in rebus incorporabilibus datur quaedam quasi possessio, quae aequivalet possessioni verae, quoad effectum praescribendi. L. 10. ff. *Si servit. vindic. Barb. bic.*

Cap. 4.

Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum, cap. 1. 14. q. 6. cap. 5. de Usur. cap. 2. eod. in 6. Qui enim alteri aliquod damnus contra iustitiam commutativam facit, gravem culpam committit, nec ea dimittitur, nisi ipse damnificans satisfaciat damnus, vel restituendo ad ipsum, quod accepit, vel si nihil accepit satisfacere debet damnus alteri causatum. C. 11. de *Restit. spoliat.* Si non habet unde satisfaciat, sufficit, si propositum habeat satisfaciendi, cum possit: imò si alter remittat, ut potest, quia quilibet juri in sui favorem introducto potest renuntiare ille, qui damnus fecit, omnino ab obligatione satisfaciendi liberatur. D. Thom. 2. 2. q. 62. art. 2. in corp. ibi: *Restitutio, est actus iustitiae commutativae, quae in quadam aequalitate consistit, & ideo restituere importat redditionem illius rei, quae injustè ablata est; sic enim per iteratam ejus exhibitionem aequalitas reparatur.* Et postea ad 1. ait: *Quod in quibus non potest recompensari aequalens, sufficit; quod ibi recompensatur, quod possibile est; sicut patet de honoribus, qui sunt ad Deum, & ad parentes, & ideo; quando id, quod est ablatum non est restituibile per aliquod aequale, debet fieri recompensatio, qualis possibilis est: puta cum aliquis alicui abstulit membrum, debet ei recompensare, vel*

De regulis Juris in 6.

Cap. 1. Bonifacius VIII.

443

Beneficium Ecclesiasticum non potest licite sine Canonica institutione obtineri, cap. 3. de Institut. cap. 21. de Jure Patron. Nul- lum enim beneficium, nec dignitas, personatus, vel Praebenda Ecclesiastica potest obtineri: quin justus titulus ad ejus possessionem precedat, sive sit electio Canonica, vel postulatio, vel collatio libera, vel praesentatio, ad quam proprie institutio Canonica subsequitur. Non verò potest acquiri per praescriptionem, etiam cum bona fide, & titulo colorato, quia non est modus, qui à jure determinatur. *Barbos. hic, n. 6.* Si quis verò beneficium, etiam sine Canonica institutione, teneat, verè possidet, ac proinde, si spoliatur, debet restitui. C. 5. de *Restit. spoliat.* imò, si bona fide, quieta, pacifica, ac continuata per triennium possessione, illud obtinuit; Pontifex per Regul. Cancel. tollit omnes lites post triennium, quae ortae sint contra taliter possidentes, dum non sint intrusi, vel adquisitio Simonica: sed licet per talem regulam excludatur tertius possessorem inquietans, non excluditur Episcopus, si ab eo titulum suae possessionis petat. *Barbos. hic, n. 11.*

Cap. 2.

Possessor mala fidei ullo tempore non praescribit. Olim, de Jure Civili, satis erat ad praescriptionem, & usucapionem, quod bona fides in ejus principio daretur, nec ipsam interrompebat mala fides superveniens. Sed cum hoc sine peccato non staret: nam quod non est ex fide peccatum est, teste Apostolo: Jus Canonicum hac ratione hanc Legem abrogavit, ac proinde hodie, etiam in foro Saeculari, cessat praescriptio, etiamsi immemoralis sit, quando mala fides, id est scientia rei alienae, vel injustae possessionis supervenit. C. 5. cap. fin. de *Prascript.* L. 54. tit. 5. p. 5. Si verò jam sit completa praescriptio, vel usucapio, non te-

vel in pecunia, vel in aliquo honore, considerata conditione utriusque persona secundum arbitrium boni viri. Si præsens textus restringatur ad materiam usucapionis debet intelligi de vitio, quod per furtum contrahit res furtiva, quod tantum purgatur, ut res possit usucapi, si ad Domini redeat potestatem, §. 8. *Inst. de Usucap.*

Cap. 5.

Peccati venia non datur nisi correcto, cap. 2. 24. q. 2. Aliquando solet poena temporalis pro culpa debita, etiam hac non correcta in foro externo remitti, si forte scandalum, vel alia inconvenientia graviora timeantur. Coram Deo tamen poena aeterna non remittitur, nisi culpa sit correcta. *D. Thom. in 3. p. q. 68. art. 2. in corp. ibi: Resp. dicendum, quod impossibile est peccatum actuale mortale sine poenitentia remitti, loquendo de poenitentia, quia est virtus: Cum enim peccatum sit offensiva Dei, eo modo Deus peccatum remittit, quo remittit offensam in se commissam. Offensa autem directè opponitur gratia: ex hoc enim aliquis dicitur alteri esse offensus, quod repellit eum à gratia sua: Offensa autem peccati mortalis procedit ex hoc, quod voluntas hominis est aversa à Deo per conversionem ad aliquod bonum commutabile: unde requiritur ad remissionem Divinae offensae, quod voluntas hominis, sic immutetur, ut convertatur ad Deum, cum detestatione conversionis praedictae, & proposito emenda, quod pertinet ad rationem poenitentiae secundum, quod est virtus: & idè impossibile est, quod peccatum alicui remittatur sine poenitentia, secundum, quod est virtus.*

Cap. 6.

Nemo potest ad impossibile obligari. *L. 31. L. 185. ff. b. t.* Impossibile aliud est de facto, hoc est, quod per naturam repugnat fieri; v. g. dare Hipocentaurum. Aliud est impossibile de jure, quod scilicet, Jure Naturali, Divino, vel Positivo prohibetur. V. g. homicidium, adulterium, vel perjurium: cum enim omnis obligatio in dando, vel faciendo consistat. *L. 2. ff. de V. O.* Et quod impossibile est, vel de facto, vel de jure, nequeat dari, vel fieri, natura, vel jure repugnante, idè dari non potest obligatio impossibilium: ac proinde promissio

rei impossibilis, etiam juramento firmata, nullius roboris est: & conditio impossibilis contractibus adjecta eos vitiat. Conditio verò impossibilis in ultimis voluntatibus posita vitatur, & pro non adjecta habetur, ac proinde instituto valet, tamquam si nulla esset apposita conditio, quod favore ultimarum voluntatum est inductum, idem ob favorem matrimonii in matrimonii est inductum: nam conditio impossibilis vitatur, nisi contra substantiam matrimonii sit, quippe tunc ipsum vitat matrimonium. *C. fin. de Cond. apposit.*

Cap. 7.

Privilegium personale, personam sequitur, & extinguitur cum persona, cap. 2. de Auth. & usu pallii. *L. 68. L. 196. ff. b. t. L. 27. tit. 34. p. 7.* Privilegium aliud est personale, quod scilicet immediatè personae conceditur: aliud reale, quod immediatè rei datur: quod est reale rem sequitur ubicumque sit, personale personam committitur, & cum persona extinguitur, adè, ut privilegium, quod alicui personae conceditur, non transeat ad filios. *L. 27. L. 35. C. de Decurion. lib. 10.* Nec marito concessum extenditur ad uxorem. *Sanch. de Matrim. L. 7. D. 47.* Nec concessum patrifamilias extenditur ad ejus famulos. *C. pen. de Privileg. in 6.* Nisi aliter in his casibus, ex tenore privilegii colligatur, quod omnino servandum est. *L. 5. ff. Mandat.*

Cap. 8.

Semel malus semper praesumitur malus, cap. 14. 22. q. 7. cap. 9. de Praesumpt. *L. 33. tit. 34. p. 7.* Quamvis in dubio quilibet bonus, & non malus, nec delinquens praesumatur. *L. 51. ff. Pro socio. C. un. de Scrut. in Ordin. faciend.* Sic qui semel fuit Dominus rei, vel eam possedit, vel habuit in deposito, semper praesumitur, Dominum, vel possessorem, vel depositarium esse, donec contrarium probetur. *L. 16. C. de Probat. L. 10. tit. 14. p. 3.* Tam si quis semel malus in aliquo delicto inventiatur, semper, & tunc, non tamen ante commissum delictum, malus praesumitur in futurum; siquidem alia praesumptio, de qua nobis constat debet praevaleat, quousque constat contrarium. Hac tamen praesumptio non est gravis, sed

sed levis, nec extenditur ad omne genus mali, sed tantum ad eandem mali speciem, ut bene *Greg. Lop. in L. 1. tit. 18. p. 6. V. Procurado. Barb. in b. text. n. 8.*

Cap. 9.

Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum. *c. 23. de Sent. excom. in 6. L. 6. §. Sed si ego, ff. de Negot. gest. Ratihabitio enim fit, fingendo, actum, qui nunc ratus habetur, factum fuisse consensu ratum habentis, ac proinde, ut hæc retrotractio habeat locum, debet utrumque tempus habile supponere, quod non aliter potest esse, quam si ille actus nomine ratum habentis factus sit: & quidem ratihabitio debet fieri, vel expresse, significando consensum per verba, vel saltem per aliquod factum, quod consensum exprimat. *C. un. de Desponsat. impub. in 6.* Ex taciturnitate tamen ob præjudicium, quod potest continere non inducitur ratihabitio.*

Cap. 10.

Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium comparari. *L. 152. §. 2. ff. b. t. L. 10. tit. 34. p. 7.* Ratihabitio enim mandato, etiam speciali, comparatur: seu censetur mandatum fictum. *C. fin. de Jur. jur. in 6. L. 26. ff. de Minor. quod in iudiciis, & in contractibus, ubi per procuratorem agitur, habet locum. C. fin. de Jur. jur. in 6. L. 56. ff. de Judic. Imò & in delictis, quæ per alium fieri possunt, ut percussio Clerici, & similia. *C. pen. de Sent. excom. in 6.* secus in illis, quæ per alium non possunt committi, ut adulterium, struprum, & similia. Ad hoc tamen necesse est, ut non solum quis ratum actum habeat, sed quod ratum habeat, ut suo nomine factum: deinde, & quod actus, de cuius ratihabitione agitur, fieri potuisset eo tempore, pro quo fit ratihabitio. Si enim eo tempore aliquis esset furiosus, etiam si actus fuisset nomine ejus gestus, non potest ipse, etiam sanæ mentis factus, ratum habere. Vel si tempore, quo actus factus fuit, esset nullus. Præterea ratihabitio non habet locum in præjudicium tertii. *c. 3. de Rescript. in 6. Anton. Gomez in L. 9. Taur. n. 64.* Nec mandato æquivalet, quando hoc pro forma, vel in vim auctoritatis*

Tom. II.

à principio requiritur. *c. 22. de Rescript. Barbos. cum aliis bic.*

Cap. 11.

Cum sunt partium jura obscura, reo favendum est potius quam actori. *L. 33. L. 125. ff. b. t.* Quando enim in causa, quæ vertitur, inter actorem, & reum, etiam post diligentem discussionem, & allegationes utriusque omnia sunt paria, & causa obscura, ita, ut pro aliquo debeat interpretatio fieri, reo favendum est in quocumque statu litis, sive in fine, sive in principio: quia ejus conditio est miserabilior, utpote quod invitus ad iudicium trahitur, & non adè instructus, ac actor censetur: cum è contra actor bene instructus credatur, utpote ad iudicium provocans. Deinde: quia absolutio est favorabilior, & securior, quam condemnatio. *c. 12. 26. q. 7. L. Absentem, 5. ff. de Pœnis.* Si verò causa actoris sit favorabilior, ut est causa matrimonii, dotis, testamenti, vel libertatis, cum jam non omnia sint paria, actori ratione causæ est favendum, & pro eo est ferenda sententia. *C. fin. de Sent. & Re judic. L. 38. ff. eod.*

Cap. 12.

In iudiciis non est acceptio personarum habenda. *c. 13. de Judic. c. 11. §. Insuper, de Rescript. in 6.* Licet enim, qui bona à suo arbitrio dependentia distribuit, libere possit uni ea concedere, alteri verò sine injuria, & sine acceptione personarum negare, juxta illud Christi *D. apud Matth. 20. v. 13. Amice non facio tibi injuriam, aut non licet mihi quod volo facere?* *D. Thom. 2. 2. q. 63. art. ult.* Ille verò, qui in iudicio, vel in alia quacumque distributione facienda secundum merita litigantium, sive sententia definitiva sit pronuntianda, sive premium sit distribuendum, vel poena infligenda, non debet attendere circumstantiam personæ, an sit amicus, vel compatriota, vel dives, vel pauper, vel inimicus, vel quid simile, sed solum juxta qualitatem causæ, & illius merita debet distributionem facere: alias acceptor erit personarum. *D. Thom. 2. 2. q. 63. art. 1. in corp. ibi: Personarum acceptio opponitur justitiæ distributi- vae: consistit equalitas justitiæ distributi- vae.*

Ggg

die, in hoc, quod diversis personis diversa tribuantur, secundum proportionem ad dignitates personarum, si ergo aliquis consideret illam proprietatem personae, propterquam, id, quod ei confertur est ei debitum, non est acceptio personae, sed causa. In aliis vero honoribus personae tribuendis, ut in assurgendo, sedendo, &c. vel etiam in qualitate poenarum, quae sunt imponendae, recte attenditur personae dignitas, nobilitas, & aliae qualitates. *C. fin. de Transact. c. 12. de Jure jur. c. 19. D. 93.* Debet enim Judex, & Princeps in eadem trutinā merita, & praemia ponderare, ut sic aequalis, & justus in eorum commensurationem inveniatur, & hac ratione ab *Horat. lib. 1. Satyr. 6.* reprehenditur ille; qui stultus honores saepe dat indignis, & *Jama servit ineptus.* Sanè Aleiat. *Embl. 144.* satis apte boni Principis Senatum depingit:

*Effigies manibus truncae ante altaria
Divum.
Hinc resident, quarum lumine, capta
prior.
Signa potestatis summa, Sanctique
Senatus,
Thebanis fuerant ista reperta viris.
Cur resident? quia mente graves decet
esse quæta.
Juridicos, animo nec variare levi.
Cur sine iant manibus? capiat nec
xenia, nec se.
Pollicitis facti muneribusvè sinant.
Caecus & Princeps, quod solis auri-
bus absque
Affectu constans justa Senatus agit.*

Cap. 13.

Ignorantia facti, non juris excusat. *L. 9. ff. de Jur. & fact. ignorant. c. 12. §. Notandum, 1. q. 4. L. 20. tit. 1. p. 1.* Ignorantia facti est, quando ignoratur factum, de quo agitur: ignorantia juris est, quando jus ad tale factum pertinens ignoratur. *L. 1. §. 1. ff. de Jur. & fact. ignorant.* Ignorantia facti excusat, & non nocet, quia regulariter invincibilis, & probabilis est, si ipsam nulla praecedat malitia, vel negligentia: cum facti interpretatio plerumque etiam prudentissimos fallat. *L. 2. ff. de Jur. & fact. ignor.* Secus ignorantia juris, non solum Naturalis, & Divini, sed etiam Positivi, imò & Municipalis, & Statutorum. *c. 12. §. Notandum, 1. q. 4.* Quia turpe est verò

Patritio, & nobilis jus, in quo versatur ignorate: siquidem lata culpa est ignorare Leges, quas omnes scire tenemur. *L. 9. C. de Legib. nisi forte jus sit obscurum, difficile, arduum, vel admixtam ignorantiam facti habeat: nam tunc etiam excusat.* Ignorantia etiam facti, si sit crassa, supina, improbabilis, vel invincibilis, quando scilicet, quis ignorat, id, quod scire, & investigare tenetur, praecipue ratione officii, non excusat. Sic ignorantia facti proprii, quae crassa est, non excusat, nisi ob diuturnitatem sit probabilis oblivio; vel si factum sit valde intrinsecum. *Menoch. lib. 6. de Praesumpt. 23.* Nec excusat ignorantia affectata, quam habet ille, qui cum posset, & deberet scire, scire noluit, ut liberius peccaret, juxta illud *Psalm. 35. Noluit intelligere, ut bene ageret.* In *C. 9. ff. de Jur. & fact. ignor.* explicatur, quando nocet, vel non ignoratur. In minoribus 25. ann. in foeminis, militibus, & similibus juris ignorantia excusatur. *L. 9. ff. de Jur. & fact. ignor. L. 1. C. eod.* Demum juris error ubi de damno evitando agitur non nocet, ubi de lucro captando nocet etiam foemina: error facti neutro casu nocet. *L. 8. ff. de Jur. & fact.*

Cap. 14.

Cum quis in jus succedit alterius, justam ignorantiam causam censetur habere. *L. 42. ff. b. t. c. 11. de Jur. Patron. L. 30. tit. 34. p. 7.* Successor praesumitur ignorare, quod ejus antecessor gessit, etiamsi filius sit, sive succedat in Ecclesia, sive etiam sit successor universalis in jus defuncti: nam cum hac ignorantia circa factum alienum versetur, creditur justa. *L. 5. ff. de Jur. & fact. ignor.* ibi: *Inquisitissimum videtur cuiquam scientiam alterius, quam suam nocere.* Si verò successor actor sit cum debeat de suo facto instructus, & certus esse, quia ad iudicium provocat, non praesumitur, illud etiam ab antecessore factum ignorare, sicut praesumeretur, si reus esset, qui in vitus traheretur ad iudicium, actor enim, cum in ejus potestate sit, quando velit experiri, certus debet esse, ante enim debet rem diligenter explorare, & tunc ad agendum procedere. *L. 42. ff. b. t.*

Cap.

Cap. 15.

Odia restringi, & favores convenit ampliari. *L. 56. L. 192. §. 1. ff. b. t.* Odium in presenti dicitur, quidquid affert gravamen, vel molestiam: è contra favor dicitur quidquid gratiam, vel beneficium affert: an aliqua dispositio, vel Lex censeatur odiosa, vel favorabilis, ex principali ejus intentione, & sine desumendum est: ac proinde erit favorabilis, si ejus primum intentum sit aliquid in alterius favorem statuere, licet tandem in damnum, & odium alterius redundet: si verò primum intentum sit alicujus odium, & poenam, quamvis dispositio, vel Lex cedat, quasi ex consequenti in alterius favorem, erit odiosa, quando verò favor, & odium commode distinguui possunt, tunc dispositio, vel Lex quatenus odiosa restringetur, & quatenus favorabilis extendi debet. *Sanchez de Matr. lib. 1. D. 1. n. 5.* Quando verò dubitatur, potius favor quam odium debet considerari; *arg. c. 49. b. t.* Quando verò certè dispositio est odiosa, nec ex identitate rationis debet extendi.

Cap. 16.

Decet concessum à Principe beneficium esse mansuram. *c. 9. de Offic. Deleg. in 6. c. 36. de Prabend. in 6. L. 2. tit. 10. p. 2.* Princeps, qui aliquod privilegium concedit, etiam post jus quaesitum privilegiato, potest illud revocare, vel etiam concessum à suis praedecessoribus: quia cum tota vis, & efficacia illorum pendeat à Principis voluntate hac deficiente, necessario corrumpitur privilegium: nam ut ait *Horat. Qui dedit hoc bovie, cras si volet auferet, ut si detulerit fascem indigno detrahet idem.* Quando verò non constat de hac voluntate, deest privilegium esse mansurum, siquidem praesumitur, Principem velle conferre beneficium, quam plenum, & perfectum, ut sit plenior ejus liberalitas. *c. 1. de Donat.* ibi: *Hanc sibi, quodammodo nobilitatis legem imponit, ut debere se, quod spontè tribuit, existimet, & nisi in beneficiis suis creverit, nihil se praestitisse putet.* Ideo gratia à Principe concessa, etiam in integra non expirant per mortem Principis. *c. 36. de Prabend. in 6. c. 9. de Offic. Deleg. in 6.*

Tom. II.

Cap. 17.

Indultum à jure beneficium non est alicui auferendum. *L. 1. ff. de Foris.* Le etenim potest tollere beneficium à Lege indultum, *arg. L. 35. ff. b. t.* Homo verò, etiamsi Prator sit, non potest beneficium à jure indultum tollere. *L. 1. §. 1. ff. de Foris:* quia inferior non potest contra Superiorem disponere. *c. 16. de Major. & obed.* Hinc legitima à jure constituta, licet consuetudine, Lege, vel Principis autoritate possit tolli, vel minui, non tamen potest ab homine minui, nam contra Legem superioris disponeret. Item cum Clerico promotus ad Ecclesiam Parochialem à jure annus concedatur, intra quem debeat ordinari. *c. 14. de Elect. in 6.* non potest urgeri, ut statim Presbyteratum suscipiat. Idem dicendum est de aliis inductis concessis ad appellandum, acceptandum haereditatem, faciendum testamentum à Commissario, & alia hujusmodi.

Cap. 18.

Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit. *L. 29. L. 201. L. pen. ff. b. t. c. 29. de Elect.* Tempus solum ex se nec est modus inducendi, nec tollendi, nec reparandi obligationem, ac proinde actus, qui ipso jure est nullus, non validatur praecise per temporis transcursum, cum deficiat forma illum revalidans; si verò postea de novo ponatur forma, vel quasi forma ad ejus valorem requisita aliquando expressè, aliquando tacite, juxta actuum qualitatem, actus valebit: non quidem tractu temporis, sed quia forma necessaria ad ejus valorem ponitur, & deficit impedimentum; sic matrimonium à principio nullum, quia metu fuit contractum, ex post facto valet, & convalescit deficiente metu, &posito consensu libero. *c. 21. de Sponsal.*

Cap. 19.

Non est sine culpa, qui rei, quae ad eum non pertinet, se immiscet. *L. 36. ff. b. t. L. 5. tit. 34. p. 7.* Sic Medicus imperitus tenetur, & puniri potest ob damnum ex ejus imperitia secutum. *L. 8. ff. ad Leg. Aquil.*

Ggg 2

si-

similiter Judex ex imperitia male judicans, arbitrarie punitur. *Text. in pr. Inst. de Obligat. que ex quasi delict. Etiam Magister Navis ex sua imperitia tenetur, si damnum causet. L. 1. l. 9. tit. 9. p. 5.* Ideo etiam Clericus, vel Monachus sit irregularis, si Chirurgiam exercendo, vel sagittas ad scopum emittendo, aliqueum occidat, quia se immiscet rei minime conformi suo statui. *c. 37. D. 50. c. 8. c. 19. de Homic. Nec enim debet quis falcem immittere in segetem alienam. Hoc argumento contra aliquos Poetas satis facere utitur Horat. lib. 2. Epist. 1. Navium agere ignarus navis timet: abrotonum agro, non audeat, nisi qui didicit dare: quod Medicorum est, promittunt Medici: tranctant fabrilla fabri: scribimus indocti, doctique poemata passim.*

Cap. 20.

Nullus pluribus uti defensionibus prohibetur. *L. 43. ff. h. t. l. 5. l. 8. ff. de Except. c. 15. de Præscript. Si defensiones sint contrariæ, ita ut nullo modo possint ad veritatem reduci, non potest, quis pluribus uti defensionibus, quia Lex prohibet. c. 13. de Fide instrum. ibi: imputari ei potest, qui contrarias inter se Scripturas in judicio protulit, fidem sibi ad invicem derogantes, cum in ipsius fuerit potestate, quam voluerat non proferre. Si verò tantum sint diversæ, ita ut possint in aliquo sensu verificari, potest quis illius uti. L. 8. ff. de Exception. Sic dubius de jure jam quaesito, potest, & titulum donationis, & emptionis allegare, ad hoc ut si alter non sufficiat, ex altero defendatur. Similiter potest allegare privilegium, & præscriptionem c. 15. de Præscript. nam tales tituli ad cautelam multiplicantur. L. 17. C. de Testam. Actor verò, etiam si plures actiones habeat, una debet experiri. L. 43. ff. h. t.*

Cap. 21.

Quod semel placuit, amplius displicere non potest. *L. 5. ff. de Action. & obligat. Qui enim semel consensu legitimo præstito matrimonium contraxit, certè poenitere non potest. c. 17. 32. q. 5. Cum matrimonium vinculum indissolubile continet. Similiter licet in mea manu sit votum, vel non, tamen non est in meo arbitrio votum factum non adimplere.*

Similiter in juramentis. *c. 25. de Jur. jur. in contractibus, in electionibus. c. 8. de Elect. in 6. & in Judiciis accidit. c. 1. de Judic. hinc prodiit commune axioma: Quod ab initio fuit voluntatis ex post facto est necessitatis, secus dicendum est in illis rebus, quæ non solum in primo fieri, sed etiam in conservari à nostro arbitrio pendunt.*

Cap. 22.

Non debet aliquis alterius odio pregrari. Vel ut dicitur in *L. 74. ff. h. t. Non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri. Nullus profecto punitur aeterna poena ob alterius peccatum, nec poena merè spirituali, quæ scilicet, salutem animæ directè respiciat. c. 10. l. q. 4. Ideo filius non debet excommunicari, si pater ejus aliquod crimen dignum excommunicatione commiserit. c. 1. 24. q. 3. nam ut dicitur. *Ezech. 18. Filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filii* quinimò regulariter, nec poena temporalis potest quis puniri pro alterius culpa. *c. 37. de Elect. in 6. Cum æquum sit, quod culpa suos teneat Authores. L. 22. ff. de Pœnis. c. 2. de His, quæ fiunt à major. part. Aliquando tamen potest pro alterius culpa quis puniri, quando aliquomodo ejus punitio ipsam gravet delinquentem: & ad majorem delinquentium terrorem, & ut magis timeatur, & fugiatur peccatum: nam ut dicitur *Exod. 20. Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem Patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem. Sic pro peccato Cham fuit maledictus Chanaan ejus filius, Genes. 9. & Populus Israel in manus hostium fuit traditus pro peccato Acham, Joann. 7. & sic de aliis exemplis ex Scriptura deductis. Poena enim, ait *D. Thom. 2. 2. q. 108. art. 4. in corp. dupliciter potest considerari: uno modo secundum rationem poenæ, & secundum hoc poena non debetur nisi peccato: quia per poenam reparatur aequalitas justitiæ, in quantum ille, qui peccando nimis secutus est voluntatem suam, aliquod contra suam voluntatem patitur. Alio modo potest considerari poena, in quantum est medicina, non solum sanativa peccati præteriti, sed etiam preservative à peccato futuro, & promotiva in aliquos bonum, & secundum hoc, aliquis interdum punitur sine culpa, non sine causa: secundum tamen, quod****

nunquam medicina subtrahit majus bonum, ut promoveat minus bonum. Sicut medicina carnalis nunquam cæcat oculum, ut sanet calcaneum, quandoque tamen infert nocuum in minoribus, ut melioribus auxilium præstet, & quia bona spiritualia sunt maxima bona, bona autem temporalia sunt minima: ideo quandoque punitur aliquis in temporalibus bonis absque culpa: cujus modi sunt plures poenæ presentis vite divinitus inflictæ ad humiliationem, vel probationem: non autem punitur aliquis in spiritualibus bonis sine propria culpa neque in presentis, neque in futuro, quia ibi poenæ non sunt medicinae, sed consequuntur spirituales damnationem.

Cap. 23.

Sine culpa nisi subsit causa, non est aliquis puniendus. *L. 31. ff. ad Leg. Aquil. l. 54. de Sentent. excomm. Licet regulariter quis sine culpa non punitur, aliquando tamen, quia hoc exigit bonum publicum, & quia ad justam delinquentium punitionem conducit poena solet, etiam innocentes, comprehendere. L. 11. D. 34. c. 4. de Cleric. agrot. D. Thom. 2. 2. q. 108. art. 4. ad argum.*

Cap. 24.

Quod quis mandato facit Judicis dolo facere non videtur, cum habeat parere necessè. *L. 167. §. 1. l. 169. ff. h. t. l. 20. tit. 34. p. 7. cap. 13. 23. q. 5. c. 2. de Major. In dubio enim stat præsumptio pro Superiore, ac proinde cum subditus teneatur illi parere, ac consequenter ex necessitate obedientiæ illud faciat, non committit dolum; nam sine animo machinandi dolus non stat. Quando verò Superior aliquid jubet contra Legem, vel contra ipsius Superiorem, subditus non teneatur ei obedire; imò resistere potest, ac proinde, si obediatur, non excusatur à culpa. *L. 9. de Sent. & re judic. c. 44. de Sent. excomm. Greg. Lop. in L. 3. tit. 16. p. 2. V. Pro mandato Barbo. hic.**

Cap. 25.

Mora sua cuilibet est nociva. *L. 173. §. 2. b. t. l. 12. ff. de Aqua pluviæ. Mora est quedam culpabilis dilatio in solvendo, vel recipiendo debito. Aliquando quis in mora constituitur, quia ho-*

mo interpellat. *L. 88. ff. b. t. Aliquando verò sine facto hominis dies adjectus pro homine interpellat. C. fin. de Locat. Ut ergo quis morosus dicatur, necessè est, quod sciat, se debere, vel saltem, quod fuisset interpellatus, ut solveret, & simul habuisset possibilitatem solvendi. *L. 5. ff. de Reb. credit. Hinc est, quod cum hæc dilatio, vel mora culpam contineat suo auctori debet nocere, non aliis. L. 22. C. de Pœnis, C. 2. de His, quæ fiunt à major. parte, nec fidejussori nocet. L. fin. ff. de Fidejussor. nisi ipse in omnem causam fidejussisset; nam tunc ei nocet mora. L. 88. ff. de V. O. ut notat Gothof. in L. fin. ff. de Fidejussor. Ex equitate tamen est inductum, quod morosus suam moram purget, & ab illius effectibus liberetur, si legitime satisfaciatur suæ obligationi sine creditoris detrimento. *L. 73. §. Vult. l. 91. §. Sequitur, ff. de V. O. Covar. 3. Var. cap. 17. Gregor. Lopez. L. 35. tit. 11. p. 5. Gomez. L. 33. Taur. Martien. L. 10. tit. 17. lib. 5. R. Glos. 2. n. 3. Picbard. in tract. de Mora.***

Cap. 26.

Ea, quæ fiunt à Judice, si ad ejus non spectant officium, viribus non subsistunt, *L. 170. ff. b. t. Quando enim dubitatur, an aliquid ad Judicis officium, seu jurisdictionem spectet, pro ipso Judice præsumitur; & illius muneris, est hoc examine, *L. 5. ff. de Judiciis, ibi: Prætoris etenim estimare, an sua sit jurisdictio. Quando verò notoriè constat, jurisdictione ad aliquid faciendum, carere, si forte illud faciat, est nullus momenti, cum habeatur, ut privatus. c. 7. de Restit. spoliat. & potestate publica ad illud requisita careat. L. fin. ff. de Jurisdic. ibi: Extra territorium jus dicenti impune non paretur: idem est, etsi supra jurisdictionem suam velit jus dicere. Sic etiam Supremus Princeps Sæcularis de rebus Ecclesiasticis non valide disponit. c. 1. D. 96. c. 10. de Constitution. Similiter Judex incompetens. c. 4. de Judic. vel etiam competens, si extra territorium jus dicat. c. fin. de Constit. in 6. Vel etiam si competens sit, & intra territorium judicet, si non servet ordinem substantialem judicii. c. 7. de Restit. spoliator. Ea tamen, quæ non à jurisdictione, sed à potestate ordinis dependent, quamvis illicite, valide tamen fiunt. Sic Episcopus valide, quamvis illicite promovet, &**

Cap. 27.

Scienti, & consentienti, non fit injuria, neque dolus. L. 45. ff. b. t. L. 25. tit. 34. p. 7. Qui enim juri suo potest renuntiare, si sciat aliquid contra se fieri, & simul consentiat, injuriam non paritur: nec sibi ipsi quis injuriam facere potest. D. Thom. 2. 2. q. 59. art. 3. ad 2. ibi: Aliqua persona singularis potest dupliciter considerari, uno modo secundum se: & sic si sibi aliquod nocumentum inferat, potest quidem habere rationem alterius peccati, puta intemperantia, vel imprudentia, non tamen rationem injustitiae, quia sicut justitia semper est ad alterum, ita & injustitia. Alio modo potest considerari aliquis homo, in quantum est aliquid Civitatis, scilicet pars, vel in quantum est aliquid Dei, scilicet creatura, & imago. Et sic qui se ipsum occidit, injuriam quidem facit, non sibi, sed Civitati, & Deo; & ideo punitur, tam secundum Legem Divinam, quam secundum Legem Humanam. Indirecte, & ex consequenti potest quis sibi injuriam facere. c. 10. 25. q. 2. ibi: Quod verò dicitis nostris temporibus debere servari, quae à meis quoque praedecessoribus tradita, atque custodita sunt, ab sit à me, ut statuta majorum Consecrationibus meis in qualibet Ecclesia infringam, quia mihi injuriam facio, si fratrum meorum jura perturbabo. Cum ergo consentiens non patitur injuriam, ideo femina ingenua, quae cum servo, quem talem esse sciebat contraxit, debet cum eo in matrimonio permanere. c. 5. 29. q. 2. Si verò quis sciat, sibi injuriam parari; sed non consentiat, ipsi fit injuria. Imò etsi consentiat, si suo juri non potest renuntiare. C. 36. de Sent. excomm. ibi: Contingit interdum, quod Clerici, si quem offendant, & satisfacere velint offenso, secundum morem patrie, quae inter se Laici observant, corpora sua sponte supplicant 30. seu pluribus, aut paucioribus percussionebus fustium. Nos autem fraternitati tuae super hoc respondemus, quod hujusmodi manus injectio, et si non violenta, tamen injuriosa videtur, cum ille Canon non tam in favorem Clericis ordinati, quam in favorem Ordinis Clericalis fuerit promulgatus. Quin, & ipse Clericus, qui se animo irato percussit, ita ut percussio sit peccatum mortale, juxta plures Cano-

nis excommunicationem incurrit, licet alii hoc negent. Ille verò Clericus, qui in sui percussione consentit, non incurrit hanc excommunicationem ipso jure, licet facile resistere possit: poterit tamen ab Episcopo excommunicari. C. 36. de Sentent. excomm. Suarez de Censur. D. 22. sect. 1. ex n. 57.

Cap. 28.

Quae à Juri Communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda, L. 141. ff. b. t. Quando enim dispositio est exorbitans, hoc est, quod deviet, & à Jure Communi, illicue in parte deroget, licet illud non absolute, & in totum corrigat, non debet de casu expresso ad non expressum extendi. L. 14. L. 15. L. 16. ff. de Legib. Sic Ecclesia Laicis concedit jus spirituale Patronatus, & in eo facultatem praesentandi Clericos ad beneficia Ecclesiastica. Sed quia hoc exorbitat à Jure Commune, quo attentio Laici talis facultatis sunt incapaces, non debet extendi hae facultas, ut possint ipsi de causis juris Patronatus cognoscere. C. 3. de Judic. nisi ex alia specialiori gratia hae facultas concedatur, ut conceditur nostris Catholicis Regibus, ut suo loco diximus.

Cap. 29.

Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari. L. 1. & fin. C. de Auth. praesentandi. c. 6. de Constit. Quando verò aliquem, minus principaliter, & secundario tangit, non est necesse ab eo approbari; arg. L. 1. §. Denuntiare, ff. de Inspectiend. ventre. Solum ergo loquitur praesens textus de eis, de quorum praesentatio immédiate agitur. Et quidem, si ad plures, ut universos, & in communis v. g. quatenus constituunt Universitatem, Capitulum, Collegium, vel Communitatem, aliquid collegialiter, ut dicitur, pertineat, sufficit, si à majori parte approbetur. C. 1. de His, quae fiunt à major. part. L. 160. §. 1. ff. b. t. Si verò pertineat ad singulos, ut singulares, & in speciali, regulariter debet approbari ab omnibus. C. 6. de Constitution. nisi ex justa causa, & ob publicam utilitatem, vel ad vitandum absurdum, attendatur major pars. Sic licet praesentatio pertineat ad singulos Patronos, sufficit, Cle-

ricunt à majori parte praesentari, ne Ecclesia detrimentum in longiori vacatione patiat. c. 2. de Jur. Patronat.

Cap. 30.

In obscuris minimum est sequendum. L. 9. L. 34. ff. b. t. L. 5. tit. 33. p. 7. In dispositione ergo obscura, id quod verisimilius est juxta circumstantias, debet fieri; ideo aliquando etiam mediocritas attenditur, ut in c. 1. de Offic. custod. & in exercitio virtutum moralium debet eligi medium, quod versatur inter excessum, & defectum, ut sic regulae rectae, & propriae mensurae conformetur: Aristot. lib. 2. Ethic. 6. D. Thom. 1. 2. q. 64. art. 1. in corp. At verò in obligationibus inducendis regulariter id, quod minimum est inspicimus: Sic respondet Innocent. III. Quod si Hispani solverunt ad unam mensuram, id quod ex voto Divo Jacobo datur; eadem servetur, si verò ad plures, & diversas solverunt, sufficit si ad minorem solvant, nec est necesse ad majorem solvere. c. 18. de Censib. idem de testatore dicit. L. 5. tit. 33. p. 7.

Cap. 31.

Eum, qui certus est, certiorari ulterius non oportet. L. 1. ff. de Act. empt. c. fin. D. 11. c. 7. de Appellat. non enim est necesse certiorari aliquem, si jam plenam facti notitiam habeat: sic sola ipsius scientia sufficit in his, quae ad ipsius commodum pertinent, Imò, & ad ipsum in mala fide constituendum: & hac ratione in c. 2. de Probat. Actor qui plene probavit, non compellitur jurare, etiam si hoc habeat consuetudo. Si verò notificatio, vel denuntiatio pro forma actus requiratur, debet fieri, etiam illi, qui aliunde illius habet notitiam: ut in electione, in citatione ad electionem, & in aliis hujusmodi. Et in dubio erit consultus, saltem ad cautelam, notificationem facere, ut sic nulla possit allegari excusatio.

Cap. 32.

Non licet actori, quod reo licitum non existit. L. 41. ff. b. t. Quamvis enim reo liceat aliquando, quod actori non licet, quia partes rei sunt favorabiliores. L. 125. ff. b. t. Siquidem facilius absolvuntur,

possidentes habentur potiores. L. 128. ff. b. t. & in aliis favor ipsis fit: tamen, quod reo non licet, nec actori debet licere; cum pro actore nullus favor militet, & aliunde à pari procedat actor, & reus. c. 2. de Mutuis petit. cum jus, quod in uno relatorum statuitur idem in alio censetur statutum. L. 21. §. 11. ff. de Recept. qui arbit.

Cap. 33.

Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum. L. 75. ff. b. t. facit c. 21. supr. b. t. Quilibet enim in melius potest suum consilium mutare. L. 8. ff. de Collat. honor. nam sano consilio utitur, qui malum consilium revocat, nisi ex tali mutatione damnum tertio sequatur, quatenus jus ipsi ex consilio adquisitionem est; v. g. ex electione, praesentatione, vel sententia, vel alteri aliis obligatus sit: tunc enim non potest quis consilium mutare. c. 58. de Elect. quia nemo potest jus alteri quaesitum ei invito auferre. L. 11. ff. b. t. Si tamen res integra sit, liberè revocatur. L. 22. §. fin. ff. Mand. ibi: Sicut enim liberum est mandatum non suscipere, ita susceptum consumari oportet, nisi renuntiatum sit: renuntiare autem ita potest, ut integrum jus mandatori reseruetur, vel per se, vel per alium eandem rem commodè explicandi.

Cap. 34.

Generi per speciem derogatur. L. 80. ff. b. t. c. 2. de Offic. Legat. Quoties enim duae dispositiones possunt, debent ad concordiam redigi. c. 16. de Testib. c. 29. de Elect. in 6. L. 26. ff. de Legibus. Si una alteri contrarietur, specialis praevalet contra generalem: quod praecipue in Legibus, & rescriptis locum habet, sive speciale praecedat, sive subsequatur. L. 5. L. 16. ff. de Legib. c. 1. c. 14. §. 1. de Rescript. idem est in poenis, in legatis, petitionibus, ac sententiis, in ultimis voluntatibus, in laudo, & aliis hujusmodi, ut assert Gotthofred. ad L. 80. ff. b. t. Quod quidem in privilegiis saepe fallit.

Cap. 35.

Plus semper in se continet, quod est minus. L. 110. L. 113. ff. b. t. c. 53. infr. b. t. Quod enim est plus in quantitate,

vel in summa, vel quia est totum, vel compositum aliquod; semper ex natura rei continet minorem quantitatem, minorem summam, & partes, quibus tale totum constat. *c. 1. de Arbitr. in 6. ibi: Si ex tribus arbitris te duo in decem, & tertius in quinque condemnet, debet sententia prevalere duorum: licet cum unus in 15. alius 10. tertius vero in quinque pronuntiant, illius, qui dicit de summa minori, cum in illa omnes concordat existant, sententia efficax censetur.* Similiter, qui habet servitutem actus, etiam itineris servitutem habet, cum in actu, & iter includatur. *Pr. Inst. de Servit. prædior.* Quando verò est plus in qualitate, vel per comparationem ad aliud, non continet quod est minus in qualitate, vel comparative ad majus.

Cap. 36.

Pro possessore habetur, qui dolo desit possidere. L. 131. L. 150. ff. b. t. arg. L. 19. tit. 13. p. 5. Quantum ad damnum scilicet, non tamen quantum ad commodum. Nam cum dolus, & fraus nemini debeat patrocinari, ille, qui fugiens actionem, quæ contra ipsum potest intentari, dolo desit possidere, in tantum tenetur, in quantum si possideret teneretur, quoad effectum, scilicet. *c. 3. Ut lite pendente. L. 47. ff. de Negotiis gest.* non tamen quoad modum, quia contra possidentem verè, datur actio in rem directa, contra possidentem fictè, datur actio utilis.

Cap. 37.

Utile non debet per inutile vitari. L. 1. §. Sed si mihi, ff. de V. O. c. 57. 12. q. 2. In rebus siquidem dividuis, hoc est, quæ ad invicem separari possunt, regulariter, id, quod est inutile non vitiat, quod utile est. *c. 19. de Præbend. ibi: Nos facto ejusdem Legati illicito reprobato, quod est licitum approbantes.* In rebus verò individuis, seu, quæ nequeunt inter se separari, quod inutile est vitiat etiam quod est utile: v. g. testis, qui quando deposuit falsum dixit in aliqua parte, in nulla parte facit fidem. *c. 24. de Re judic. c. 56. de Elect. c. 7. D. 9.* Similiter, si Notarius in aliqua instrumenti parte falsum scripsit, totum corrumpit instrumentum, etiam quoad alias partes. *c. 5. de Hæc, que fiunt à Prælat. quæ fides testium,*

& Notarii indivisibilis est, & non potest, quoad partem esse certa, firma, & vera, & quoad partem, incerta, fallibilis, & falsa: imò si rescriptum Pontificis ex visio latinis in una parte reddatur suspectum, an à Pontifice emanarit, vel non, etiam est suspectum, quoad articulos separatos, cum non sit possibile, quod idem rescriptum, quoad unam partem emanarit à Papa, & non emanarit quoad aliam. *c. 11. de Rescript.*

Cap. 38.

Ex eo non debet, quis fructum consuetudinis, quod nixus extitit impugnare. c. 19. de Censib. hinc qui testamentum, tanquam inofficiosum impugnavit, non capit ex eo legatum. L. 8. §. 14. ff. de Inoffic. testament. Nec pro se potest allegare Epistolas Decretales, qui eas non esse authenticas dicit. c. 1. D. 19. Hinc etiam deducit Barbosa, non posse aliquem approbare, quod semel impugnavit, nec posse reprobare, quod semel fuit ab ipso approbatum. *L. 9. ff. de Negot. gest.*

Cap. 39.

Cum quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ sequuntur ex illo. L. 16. ff. de Spons. L. 26. C. de Usur. ibi: Principali actione non subsistente, satis supervacuum est super usuris, vel fructibus adhuc Judicem cognoscere. Sicut enim aliquo concessio intelliguntur concessa, quæ ad illud sunt necessaria. *L. 2. ff. de Jurisd.* Sic quando aliquid prohibetur, prohibita censentur, quæ ex illo sequuntur. Ideò, quia beneficium datur propter officium, qui ab officio suspensus est, etiam beneficium suspensus censetur. *c. 18. D. 81.* Similiter cui est prohibita propter delictum, vel contumaciam communio Ecclesiæ, in quastipendium habet, etiam stipendium censetur prohibitum. *c. 53. in fin. de Appellat.*

Cap. 40.

Pluralis locutio duorum numero est contenta L. 12. ff. de Testib. Si enim aliqua dispositio in plurali loquatur, & aliunde nullum numerum requirat, sufficit si duo inveniantur. Sic in L. 12. ff. de Testib. sufficit duorum testium numerus, quan-

do testes requiruntur, & non assignantur eorum numerus. Sic cui libertas post annos est legata, duos saltem annos debet expectare. *L. 17. §. fin. ff. de Manum. testam.* Si cum aliquo ad plura beneficia obtinenda dispensetur, duo potest obtinere, *cap. 19. de Præbend. in 6.* Aliquando verò pluralis locutio in singularem resolvitur, quando est eadem ratio, & non sequitur absurdum. Sic *D. Jacob. in Epist. anon. cap. 5.* loquendo de Sacramento Unionis, & ejus Ministro, ait: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesie.* Et tamen *ex cap. 14. de V.S.* constat etiam unum Sacerdotem posse Sacramentum Unionis administrare, etiam si alii Sacerdotes non sint. Nam ibi potius qualitas, quam numerus personarum significatur, ut in *Luc. 17. Ite, & ostendite vos Sacerdotibus.* Id est, cuilibet de Sacerdotibus: siquidem pluralis aliquando Rethoricè loquendo pro singulari sumitur, ut in *Matth. 27. v. 44.* Ubi Latrones cum Christo crucifixos ipsi exprobasse dicitur, cum constet. *Luc. 23. v. 39.* unum solum blasphemasse. Sicut etiam, è contra aliquando, locutio singularis pluralitatem significat. Sic *Virgil. Æneid. 2.* loquendo de militibus in equo inclusis ad Trojam debellandum, ait: *Penitusque cabernas ingentes, utrumque armato milite complent.*

Cap. 41.

Imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum. C. fin. de Elect. cap. 66. infra b. t. Sic Semestre à jure præfixum ad eligendum, sed conferendum beneficium, non currit legitime impedito, nec currere incipit, nisi à die notitiæ vocationis, quia ignoranti, vel impedito, non potest imputari, quare non elegerit, vel non præstaverit. *C. 5. de Conces. Præbend.* Si verò per ipsum stet impedimentum non tolli, cum jam ipsi hoc possit imputari, ipsi tempus currit. *L. fin. de Elect.* Idem de appellatione interponenda, de Sacerdotio suscipiendo, & similibus dicendum est.

Cap. 42.

Accessorium naturam sequi congruit principalis. L. 178. ff. b. t. arg. L. 1. tit. 14. p. 5. Principale in præsentem est, id, quod

per se, & in propria virtute stat: Accessorium autem est id, quod à principali dependet, etique inhæret, tanquam accidens substantiæ. *C. 9. de Offic. delegat. in 6.* Etiam si accessorium secundum suam naturam nobilissimum principali sit, ut in *§. 26. Inst. de Rer. divic. ubi purpura, licet sit pretiosior vestimento, habetur, ut vestimenti accessoria, quando ei in-textitur: & hac ratione accessorium naturam principalis debet sequi: principale verò non debet naturam sequi accessorii. Sic quando committitur causa matrimonii judicanda, etiam de dote cognoscit delegatus, quia est accessoria matrimonio, *cap. 3. de Donat. inter virum.* Et quia sponsalia simplicia possunt mutuo consensu dissolvi, etiam mutuo consensu dissolvuntur, quando sunt jurata: quippe juramentum induit naturam contractus, cui accedit, & tanquam ejus accessorium habetur. *C. 2. de Sponsalib. cap. 25. de Jure jur. L. 5. C. de Legib.* Aliud dicendum est, quando juramentum, non ut accessorium, sed ut stans per se ponitur: nam tunc etiam contractu soluto servari debet. *C. 28. de Jur. jur. cap. 6. de Usur.* & sic habetur, quando confirmat contractus Jure Civili invalidos, idem dicendum est, quando in accessorio militat diversa ratio, vel quando propter ejus arduitatem non censetur ad ipsum extensa mens, vel dispositio concedentis, vel prohibentis. *Barbos. hic.**

Cap. 43.

Qui tacet consentire videtur L. 2. §. 2. ff. Solut. matr. C. Nonnè, §. de Præsumpt. L. 1. tit. 16. p. 4. Quando enim Judæi Christo dixerunt: *Nonnè benè dicimus: quia Samaritanus es tu, & Demonium habes.* Respondit Jesus: *Ego Demonium non habeo.* Hinc infert. *D. Gregor. in cap. 5. de Præsumpt. Duo quippe illata fuerunt ei: unum negavit, alterum tacendo, concessit.* Similiter in *L. 2. §. 2. ff. Solut. matrim.* ait Ulpianus: *Voluntatem filia cum Pater agit de dote, utrum sic accipimus, ut consentiat, an verò ne contradicat filia? Et est ab Imperatore Antonino rescriptum, filiam, nisi evidentè contradicat, videri consentire Patri.* Sic in *cap. un. §. fin. de Spons. impub.* Et sponsalibus, quæ parentes pro filiis puberibus, vel impuberibus plerumque contrahunt, ipsi filii, si expressè consenserint, vel tacite, vel si præsentem fuerint, nec contradixerint,